



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 30. Dicunt ei discipuli: Quo vis eamus & paremus tibi, vt nianduces
pascha. v. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

ius habeamus: & quo magis inimici tui etiam in hoc festo festinabant te assequi & occidere: eo ardentius & tu immolari pro ipsis auebas & vitam tuam dare pro vita ipsorum.

§. 30. Dicunt ei discipuli: Quo vis eamus & paremus tibi, ve manduces pascha. v. 12.

Prædie igitur vel primò azymorum accedunt discipuli inter quos erat & Iudas ad Iesum dicentes: quo vis eamus & paremus, tibi comedere pascha? quasi dicerent: nouimus te Domine quia tenacissimus es obseruator legum: & iam instant dies solemnitatis azymorum, in qua conuenit manducare agnum paschalem: & ecce stamus ad obsequium tuum, mandatum & commenda & parabimus sicut nouimus te velle: sed quid est quod dicitis pauperes, vagi, piscatores, vbi vis? Ergo omnium ædium vos domini estis? ergo vbique vos Christo conuiuium instruere poteritis: non equidem tantam tunc in eis fidem fuisse audeo credere, sed potest dictum illud simplicius, uti inter homines assolet, intelligi, cum rationabilem, non miraculis fultam inquirimus voluntatem proximi, dentes vti vis &c. aliàs, si tanta in discipulis viguit fides, ita verba eorum accipi possunt; poterimus ubicunque modo ipse mandauerit: iubeat sibi in Pilati prætorio instrui epulum, fiet. iubeat in Herodis regia, non morabimur: iubeat vel in Tiberij Cæsaris triclinijs, instituetur, à Domino vniuersorum non est petendum, nisi quid velit. Si sic accipimus apparet certe hic animus in Apostolis excelsus, & dignus Christi schola in ijs discipulis, qui olim ad sequelam vocati relictis omnibus secuti sunt eum.

Deus meus & Dominus, animatus voce discipulorum tuorum solenni; quam & S. Paulus Apostolus primam esse voluit in sua conuersione, fidenter dico. *Vbi vis, Domine, vbi vis tibi præparem comedere pascha? vbi vis me tibi seruire? in statu Religioso? an Ecclesiastico, an sæculari?* Dic, *Vbi vis*, ego per tuam gratiam conabor ibi tibi pascha parare, ubi tu significaueris tibi magis placiturum.

§. 31. Et mittit duos ex discipulis suis. v. 13.

Petrum scilicet & Ioannem primos Apostolorum & dilectione prælatos ad præparandum finem veteris legis, & initium nouæ per cænam, in qua verus tandem apponeretur agnus paschalis. Prima enim fuit hæc manducatio Christi veri Agni paschalis & sepelitio veteris. Prima inquam manducatio corporis & sanguinis in nouo testamento, & paschalis cuius materiam ambo isti præpararunt: & quia Sacramentum intimæ dilectionis erat (in fine enim dilexit nos) teste eodem Ioanne, dando & instituendo